PAMFLET
194

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194

D.

GVILIELMI NASSAVII PRINCIPIS AVRANTII &c.

GERMANIAM INFERIOREM
libertati vindicantis

AD
ORDINES ET POPVLVM
DENVNTIATIO.

I. 5. 7 2.

16. Iunij.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

194

39

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194

MEMORES monere viri Belgæ iãpridem deſijt apud vos eſſe neceſſarium, ſiquidē eæ calamitates hiſce annis per ceruices veſtras graſſatæ ſunt, quæ vos haud dubiè neque ratione, neque ſenſu deſtituerunt, quibus hoſtem atrociſsimum à fidiſsimo patrono, & ſalutari vindice diſtinguendum experiremini. Quam ſententiã ſi quis propitius Deus animis veſtris immiſiſſet tunc, cum nos per vniuerſam Germaniam contractis multo inſtructiſsimis equitum peditumq; copijs, vobis pro foribus veſtris vſurpandæ libertatis faceremus copiam: neq; nunc deploraretis pulcherrimam patriam plus quam Phalaricæ tyrannidis atrocitate laceratam, neq; ille omnis truculentiæ anteſignanus diutius ſtetiſſet, quam immaniſsimorum ſcelerum perſoluiſſet pœnas. Sed hanc expeditionem noſtram exceperunt non ſolum alienæ à noſtro incomparabili beneficio voluntates veſtræ, verum etiam ſiniſtræ interpretationes, mendacia, & calumniæ. Scilicet enim non aliter tunc ferebant rerum inuolucra, niſi vt, qui beluinam iſtam crudelitatem nunquam ſecuturã ſperabatis, cauſam ad eos ſolos pertinere arbitraremini, quibus perditis vos tamē cum Repub. & facultatibus veſtris ſtaretis, ſalui & incolumes: Qui phanaticus error niſi tunc damnantibus fatis inſediſſet animis veſtris, maluiſſetis haud dubiè, ad recuperandam libertatem veſtram, extrema aduerſus talem latronem declarare exempla, quam nos clauſis portis, negatoque omni commeatu vniuerſa gratitudinis ſignificatione fruſtrare. Et tamen nobis, ô miſerrimi, atque afflictiſsimi, etiam vobis promiſſa fallētibus, ne ipſe quidem, vt inſolentiſsimus, ita ignauiſsimus vaſtator fidem abrogabit, quin tūc in promptu mihi fuerit non minus imbelles, men

dacioque exaggeratas eius copias vel in obuias quaſq; munitiones diſsipare, vel caſtrorum probroſis cancellis ad inediam, & deſperationem cõcludere, vel apertis campis reluctantes, atque conſternatas animis profligare, quam ad Rheni ripam ſatis multo tempore ex diſsitis Germaniæ finibus expectatum exercitum, inuito illo, ac ne oſtentare quidem ſe auſo, in vlteriorem Moſæ continentem tranſponere niſi præter omnem expectationem incrudeſcente per Galliam bello, ad ſociorum, qui diſsitis ampliſsimi regni oris diſcluſi colligere ſeſe non poterant, extremam neceſsitatem fuiſſet accelerandum. Quam feſtinationem elatiſsimus Populator ſi ſibi (quod vobis perſuaſit) pro fuga noſtra vſurpandam, pro ſua victoria apud ſuos celebrandam exiſtimauit: cur non etiam mendaciſsimis illis triumphis illud adiecit, quod nulla illa aſperrima hyeme mundi elemẽta, nullæ cœli iratiſsimi iniuriæ ita exercitum noſtrum attriuerunt, vt vel ipſe (qui ſibi tanquam victori tantopere plauſit) à tergo nos infeſtare, vel occurrere à fronte rex Galliæ (quem & illic fatales peſtes impuberem identidem opprimebant) ſit aggreſſus? Imo cur ille ſuos periculo ſubtraxiſſe ſatis habens ſtatim ad hyberna confluxit? hic miſsis beneuolentiſsimis legationibus, ſubminiſtratiſque exercitui meo rebus neceſſarijs, ſpatium dedit, quod diſpalatis per periculoſa loca religionis confœderatis ſuffeciſſe conſtat ad colligendas eas vires, quibus tam inexpectatum impetum non ſolum propulſarunt, verum etiam pacem iſtiuſmodi artificum technis idẽtidem violatam à benigniſſimo obtinuerunt. Cuius quota pars ad meum beneficium pertineat, qui primũ nuſquam non periclitantes, illatis in regnum alienũ caſtris, præſtiti incolumes, deinde etiã ſelectiſsimis auxilijs fulciui atq; auxi, ſalutaris amiciſsimo tandem regno exitus demonſtrauit. Quando igitur viri Belgę

ita re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194

ita rerum veſtrarum iniquitas comparata extitit, vt nõ pri-
us aſſertorem, ac vindicem ſalutis veſtræ è manibus amiſ-
ſum deploraretis, quàm illic ſuperata demum omnia mala
vos inuitarent ad exẽpla, cumq; extrema atrociſsimarũ in-
iuriarum cataſtrophe fateri cogat, pluris veſtra omnium
(quocunque demùm ordine, conditione, genere, loco, re-
ligione, conſcientia eſtis) intereſſe, quam noſtra, vt exoti-
cæ, ac plus quam barbaricæ inſolentiæ iugum tandem de
ceruicibus chariſsimæ patriæ abrumpatur: excipite quæſo
læto omine, atque exemplo reſtitutã iam tertium pulcher-
rimo, eidemq; vt vicino, ita cognato regno pacem. In quo
turbando ſanguinolentiſsimus diſcordiarum architectus
non ſolum hoc ſpectauit, vt vnico hoc tanquam clipeo mu
niretur per vniuerſum orbẽ Chriſtianum Antichriſti dia-
dema, verum etiam ipſe peregrini furoris ſumptu ſuam in
capita, & fortunas veſtras ſuſtentaret tyrannidem. Nolite
obſecro committere, vt diuinę manui ad iſtum modum vo
bis recuperandæ ſalutis rationes præmonſtranti defuiſſe vi
deamini. Quid enim exhorreſcitis periculum? quid adhuc
diſsimulatis voluntates, aut ſupprimitis exhulceratiores,
quam vt ſupprimi velint, iniurijs animos, pugnante pro vo
bis, vocanteque ad applauſum victoriæ ipſo numine? Matu
ruit enim (gliſcentibus exemplis credite) ad ruinam ſuam
iſte tyrannus, deuolutus eſt ad periodum inſolentiæ, qua
tam inauditis, atque deteſtabilibus exemplis impulſus ſur-
ſum ac deorſum omnem antiquum ſtatum concuſsit. Cu-
ius ſi curſum ac fata non intelligitis, exitus rerum à conſti
tuto mundo perſpicuè docuit hanc eſſe omnium tyranno
rum periodum, vt, poſtquam omnes ſcelerum numeros ex
pleuerunt, nec habent quod flagitijs addant, tunc ſub in-
genti mole delictorum fatiſcant, vrgentibuſq; nefariæ cõ-
ſcientiæ ſtimulis ſpem omnem profligatam dedant ad pœ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194

nam,adeo,vt nec requiem,nec ſolatium ab hoc æſtu inue-
niant vllũm,niſi vt ſui ipſorũm tandem euadãt carnifices.
Ad quod præcipitium ſi nondum peruentum exiſtimatis,
agite,oſtendite vllum vel minimum diuini humaniq́ue iu-
ris veſtigium,quod intactum ab illo dicere poſsitis . Quas
immunitates,priuilegia,iudicia non funditus ſuſtulit? qui
bus prouincijs,vrbibus,agris,cui ſanguini vel heroico,vel
populari pepercit? quid reliquũ fecit quod nõ violentiſsi-
mis exactionib⁹ decimarum viceſimarũ centeſimarũ etiam
ad anetum & mentam vſq;, vobis ne rogatis quidem,expi-
lauit? proteruia,edacitate,gula, rapinis, furtis erratici ſa-
tellitij exhauſit? libidinibus, adulterijs,ſtupris,vi,raptu,in
cantamentis,,veneuis corrupit ac fœdauit ? vxores veſtræ,
(vobis ne mutire quidem auſis)nefandiſsimis recutitorum
amplexibus hæſerunt,filiæ philtris ad turpiſsimos impuri-
ſsimorum ſcurrarum amores dementatæ,pueri probra paſ
ſi,quorum nomina hactenus ignorauit vtraque Germania.
Qualia ſi in militum inſolentiam reijciat, cur militem ha-
bet ſine diſciplina? cur omne facinus impunitum diſsimu-
lat? cur flagitioſiſsimum quenque ſummo loco habet? cur
præ cæteris cultiſsimi eniteſcũt,quibus furta,ac rapinę ſup
petunt ad ſplendorem? Quis ſimilem vnquã impuritatem
vel cogitauit? niſi(quod in hac gẽte iam diu ſpectatum eſt)
qui Chriſtianorum pudori & pudicitię fuit ex profeſſo ho
ſtis? Sed quem ille qua diſciplina contineat? ad quod tribu
nal ſiſtat? quibus legibus reũ peragat? quibus iudicijs dam-
net? qui omnes magiſtratus redegit in ordinem? qui tribu-
nalia euertit,ſuffragia comitiorum tam in vrbibus, quam
prouincijs abrogauit? immeritas ciuitates,quæq́ue ad eius
ſucceſſus non paruum momentum attulerunt,moleſtiſsi-
mis præſidijs oppreſsit,nonnullarum ſplẽdidiſsima domi-
cilia(quorum municipatus ad Germanię ſacroſanctum Im

perium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194

perium pertinebat, in cancellos ſuorum latronum muta-
uit? noxam atq; innocentiam, ſacra ac prophana nullo diſ-
crimine habuit? Quæ omnia quo tutiora redderet aduer-
ſus ignauiæ veſtræ poſteritatem (quæ tamen ne vlla vnquã
ex oſsib⁹ veſtris exoriatur, publicè ſatagit) an non antiquiſ
ſimæ nobilitatis dominia ac iuriſdictiones aboleuit? oppi-
dorum ac arcium dominos, quorum opera ad miniſteria i-
ſtius lanienæ ſuperbiſsime eſt vſus, inter infimas claſſes ſe-
dẽtario vulgo æquauit? nonnullos etiam inauditos procul
omni tribunalis veſtigio furcis affixit? Fuerit vero ei com-
modum multorum virtutẽ vel leſæ maieſtatis, vel hæreſeos
arceſſere, quibus (Deum immortalem teſtor) nihil tam cor
di fuit, quam regiam maieſtatem cõſeruare, leges, iudicia,
patriam tueri, ſeditiones atque turbas auertere, conſcien-
tias piorum ciuium ex præſcripto verbi Dei trãquillas con
ſtituere, ſontes punire, atque ſic confirmata Repub. vnum
quenque in ſuo ordine, ac dignitate indemnem præſtare,
cur igitur non facit hic graſſandi finem? quid meruerunt
ordines Eccleſiaſtici (quorum Camillus videri vult) vt de
inueterata eminentia, quæ ante eum ſemper illæſa manſit,
deijciantur? opibus ſpolientur? communi reatu compre-
hendantur? An hoc eſt catholicam (quam iactat) Eccleſi-
am defendere? auitã religionem aſſerere? hæreſes tollere?
cum abbatias, collegia, cõuentus demolitur? templa auro,
argento, gemmis, purpura, antiquiſsimorum Regum ac
Principum liberaliſsimis donarijs ſpoliat? ſacrilegijs ipſis
ſaburratas claſſes in Hiſpaniam dimittit? denique illis prę-
cipue rebus vim facit, & ſacrilegas manus infert, quas nul-
lus vnquam hoſtis Albanica religione imbutus auſus eſt tã-
gere? Quam execrabilium iniuriarum lernam, qua omnes
(vt experti eſtis) nullo diſcrimine ordines oppreſsit, ſi quis
iuſto animi libramine ſecum perpendat, credo non homi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194

nis eſſe dicet, ne impij quidem atq; extremè inſani, ſed Ma-
hometicæ alicuius tigridis, quæ non aliud agat, quam, vt
vniuerſum ſimul omniũ Chriſtianorum ſanguinẽ, nedum
noſtrum paucorum, ſorbeat, vnoque hauſtu ingurgitet.
Nam ſiue diuinam agit cauſam, quod ad violatam attinet
religionem, ſiue regiam, quod ad læſam rebellione eius ma
ieſtatem, turbatamque ſeditione Reipubl. tranquillitatem
(quæ duo capita hæc tyrannis violentiæ ſuæ prętexit) cur
extra cauſæ fines ſeſe effundit in nihil meritos? cur æraria
expilat? ciuitatum prouentus interuertit? priuatas omniũ
poſſeſsiones decurtat? commercia, pacta negotiatorũ, ſu-
dores mechanicorum, obſonia & minima quæque eſculen
ta decimat? denique, cur etiam illa bona tanquam integra
addicit fiſco, quæ tabulis creditorum ſunt obnoxia, nulla
habita cuiuſquam vel ſyngraphæ vel hypothecæ ratione?
Dicat tandem quos oppugnet, atque ad pœnam perſequa
tur, quos item defenſos ſeruatoſque velit, qui neminem ex
cipit, ne illos quidem, à quibus clam ſubmiſsis in Hiſpaniã
conſilijs accerſitus adeſt, à quibus cupidiſsimè receptus,
ac fortiſsimè adiutus eſt, ſine quorum ope nunquam huc-
uſque potuiſſet progredi. Sint verò adhuc degeneres ani-
mi, qui extremis oppreſſarum rerum reliquijs acquieſcen-
dum ducant, qui obduci hiſce vulneribus longa patientiæ
conſuetudine cicatrices ſperent, qui ſucceſſorem hoc va-
ſtatore mitiorem expectent, illi velim videant, quam inde
ſibi imaginentur mitigationem, vbi rege ab eiuſmodi arti
ficibus oppreſſo, ne feciali quidem iure arbitri pacis cum
omni obſeruantia miſsi inuiolati pręſtentur. Clementiam
præſtet? aut ignoſcere ſciat illa coniuratiſsimę tyrannidis
officina, quæ, quam ne ſimulare quidem hoc poſsit, ſatis e-
uidenti exemplo pridem patuit, propoſito (ſi dijs placet)
ad malorum omnium ſolatium veniæ formula. Quæ poſt-
quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194

quam inſtar aurei mali excepta fuiſſet omnium deſiderijs, quid aliud venata eſt, quam vt, quicunque rei adhuc facti non eſſent, hi è latebris ſuis ſua ipſi ſponte in tabulas damnatorum ſeſe dederent? vt quotieſcunq; reſpiraſſet hic carnifex, tum velut è corte protraheret ad lanienam, qui ſua ſeſe ſtultitia ſic illaqueaſſent. Excutiantur (ſi libet) ſingula verba, nullus illic apex eſt, qui non in modum illicis, atque hami expoſitus ſit, ad ineſcandos etiam illos, qui ne cogitarint quidem vnquam (quod quidem tyranno religioſiſsimum eſt) de religione. Profecto niſi extremi ſolatij punctum inuidiſſet vobis, ſaltem nuper Reginam ſereniſsimam Sacratiſsimi Cæſaris filiam in parentum ac mariti ditiones deuectam, more maiorum obtuliſſet oculis veſtris ad lętitiam, dediſſet aditum, feciſſet gratiæ alicuius largiendæ (qui mos eſt) poteſtatem, ſupplicibus libellis locum aperuiſſet. At illam lintribus per Gelriæ obſcura littora raptatã quanta celeritate non Dominæ, ſed captiuæ inſtar per campeſtria Brabantiæ traxit? ne vel amęnitate auitarum regionũ, vel ſplendore vrbium caperetur, vel puellari commiſeratione preces afflictorum colligeret, quas ad puluinaria Regis mariti refunderet. Qua feſtinatione tamen quam fęlix explendæ tyrannicæ libidinis inuenit compendium, cum, quanto maximo ſumptu, atque cultu vobis conuocatis tãquam ad panegyricum nouæ Dominæ ac Sponſæ, inopinata impudentia ingentem pecuniæ vim extorſit, vt ſcilicet ſuo beneficio dotatam, non veſtra munificentia donatam obtruderet Regi. Quid? quod tam periculoſe ac deſpectim claſſe hyberna detruſam etiam contumelia proſecutus eſt, cum eius nuptias, quas oportebat tot regnis eſſe feſtas & fauſtas, triſti luctu, funeribuſq; fœdauit. Intellecto enim Montignij Baronis vxorem quaſi cum patrona deprecatũ proficiſci, etiam illic pręuenit, ne vel Regina cuiquam mor

talium lætitiam adferret ſuo coniugio, vel miſeræ fœminę copia fieret (ſi nihil aliud) ſaltem extremũ vale dicendi marito. Quo vel vnico facinore cunctis totius orbis populis in promptu eſt perſpicere Hiſpanici Papatus, eiuſque coniuratorum monſtroſam crudelitatem, qui cum Marchioni Bergenſi cubiculario quandoque Regis, eiuſque quaſi collactaneo cicutam porrexiſſent, Montignium, quod frater Hornenſis Comitis eſſet, quadriennali carcere excarnificatum penè ſpectante vxore ſuſtinuerint iugulare. Hoc erat Epithalamium ſcilicet canere Regijs nuptijs, hoc erat Panegyricum celebrare Imperiali puellæ: Germanico ſanguini, Regiæ vxori, nepoti, totq; modis cõiunctæ etiã abſque cõnubio. Sic Hiſpanicus Senatus Inquiſitorio ſpiritu accẽſus ius gentiũ ſeruat, Regium iuſiurandũ pręſtat ſacroſanctum, honorem habet ordinibus Inferioris Germaniæ, qui euocãte & iubẽte ipſo Rege eos viros ad eam legationẽ protruſerant. Excutiantur rerũ geſtarum hiſtoriæ, reſpiciantur gentiũ omnium mores, perluſtrentur mundi totius plagę, quę vnquã Scytharum feritas, quę Anthropophagorũ fames iſtiuſmodi laniatũ commiſit? Sed his iniurijs ope iſtorum coniuratorum, quos in Hiſpanijs habet, per Regis & Reginæ capita, per procerum ceruices, per ciuitatum iura, & innocentium ciuium iugulos circumferendis, materiam aliquam ſuppeditant mandata, quæ Regiæ voluntatis prętextu iactitat: illam mihi dicat vnde depromat ſuperbiam, qua viduam Hornenſem territorijs & bonis Imperio Germanico ſubiectis, & D. Batoburgicum feudis eiuſdem Imperij antiquiſsimis immeritiſsime extruſos, ne mandati quidẽ Imperialis audita Maieſt. ad decreta togatorum Comitiorũ reſtituit? cur quæſo in illos etiã graſſatur, quibus neq; cũ hæreſi (quam clamat) neq; cum ſeditione quidquã cõmune fuit? niſi ꝙ omni generoſo ſanguini ſit infeſtus? ꝙ

pulcher-

pulcherrimis quibuſq; dominijs & opibus inhiet? Audiſtis hæc, & vidiſtis, & adhuc ad abſolutam immaniſsimi tyranni molē quicquā, vt accedat, expectatis? At vos, ô boni, ſcitote q̃dquid eſt quod ille adhuc conetur (conari aūt nihil poteſt, niſi quod nunc tandē ad extremū prouexit incremētum) id, vt in caput & iugulū eius vertatis, in veſtra eſſe poteſtate, ſi exēpla eorum ſecuti, qui noſtra fideli ope implorata, armatis præſidijs ſeſe munierunt, fælici tędio concreſcētem ſeruitutis iugo ceruicibꝰ veſtris callū detruncetis. Sin verò oblatā occaſionem eadē, qua ante triennium vel cęcitate, vel ingratitudine negligatis, nihil aliud futurū expectate, quā vt idem choragus, qui identidē inter famā diſceſſus ſui & aduentū ſucceſſoris ſuſpēdit animos veſtros, fabulæ, quæ ex afflictiſsima ꝓtaſi in hanc cruentiſsimā epitaſin creuit, imponat cataſtrophen, cuius dolor nō ad vnum aliquod regale culmen pertingat, ſed (quod nemo vnquā Poeta vel in ſcena auſus eſt fingere) ad excidiū, quo reliquię omnis dignitatis, honeſtatis, & libertatis, quæ hactenus oēs ordines Belgicos ornarūt, ſemel euileſcāt & cōcidāt. Expectate inquā ô multo afflictiſsimi, vt omni religionis mētione (quocunq; demū ea nomine tam catholicos, quā hæreticos, vt hoſtes noſtri loquuntur, cōprehendit) depoſita, munitis duntaxat paucis portubus ad decimandas negotiationes veſtras, reliquas oēs nobiliū dominiorum arces, vrbiū portas, propugnacula, muros ſolo æquet, inſtrumentū bellicum (cuius pretium vix iuſti alicuius regni opes æquent) cum reliquis (quod pridem vidiſtis) ærariorum & templorū theſauris in Hiſpaniam deportet, vectigalia veſtra, & cēſus, quibus magiſtratuū veſtrorum dignitas, munitionum impēſę, ciuium ſecuritas, pauperū ærumnę ſuſtentata ſunt, in fiſcum & prædam Marranicæ auaritiæ extorqueat, donec honeſtiſsimorum, humaniſsimorumq́; ciuiū cœtus in Nomadū & Schytarum feritatem exaſperētur, collegiorū

 digni-

dignitas in exploratorias Fanciſcanorum ſpeculas degeneret, reliqua excultiſsimarum regionum oblectamenta pro Lybicis ſolitudinibus obſoleſcant, denique quicquid vbique fuit rerum priuatarum, publicarum, ſacrarum, prophanarum, quicquid operæ, laboris, induſtriæ, id in æternam conſletur prædam, cuius ipſe nunc inæſtimabiles primitias ſecum abradat, quod deinde renaſciturum ſit, id in ſingulos annos (ſicut Promethei olim fibræ vultures pauerunt) egentiſsimum quenque & rapaciſsimũ, qui ex Bethicæ mutilatis opilionibus ſit ſucceſſurus, expleat, ditet, ornet, armet, efferatum reddat in libera liberorum veſtrorum colla. Quod cum moliri tametſi vos iamdudum innumeris exemplis ſpectaſtis, atque experti eſtis, tamen, quo euidentius cognoſcant, maximè, qui nullas non etiam notiſsimas iniurias ad ſolatium ſuę ignauiæ accommodant, hoc ineſt illi Lenocinio myſtici veneni, quo pridẽ partim puplicè, partim priuatim tam extorquere, quàm eblandiri vobis conatus eſt, vt acta omnia ſua rata haberetis, quidquid ipſe deſignaſſet, id vtile & neceſſarium ad conſtitutionem Reipub. veſtroque conſilio & iuſſu factum renuntiaretis, ſciſceretis, legem eſſe iuberetis. Videtisne quantum honorem deferat? quantam autoritatem vobis relinquat? nimirum, quibus extra hæreſeos, & rebellionis cauſam armata tyrannide & nomen & res abſtulit, ijs vnicam poteſtatẽ relinquit, qua ipſi voſmet ſcelerum omnium tam in deos, quàm in homines dãnetis reos, ac perdatis. Quod ſi ſemel conſecutus eſſet, tũ profecto nodo vos conſtrinxiſſet Herculeo, quem neque nepotes veſtri eſſent ſoluturi vnquam plorãdo, nec ſi mitior quiſquam ex factione impuriſsima ſuccederet (vt maximè alienus eſſet ab eiuſmodi atrocitate) poteſtatẽ haberet vel ad latum vnguem recedendi ab ijs legibus, quas iſte Draco, non tam ſuo iuſſu, quàm veſtris ſuffragijs ſancitas &

tas & conſecratas reliquiſſet. O portentoſam inſolentiam, libidinoſiſsimam tyrannidem, nequiſsimam inſultandi proteruiam, qui afflictiſsimis & miſerrime oppreſsis nõ ſolum ingemiſcendi, plorandi, querẽdi eripit facultatem, ſed ipſos etiam dolores, ac ploratus inuita vultuum ſerenitate gaudijs & applauſu cogit mentiri. Quis vnquam Siculus ita confiſus eſt ſuis ſucceſsibus? vt ſcelera ſua pro legibus ſancire auſus fuerit, vocatis ad ſuffragia etiam ipſis ſpoliatis atque oppreſsis? Vlciſcendis & tollendis aduerſarijs omnes tyranni impoſuerunt furoribus modum, hoc vno fine æſtimarunt omnem potentiam. Quin & tunc, cùm ſæuirent, parcere maluiſſent, ſi abſque metu tueri dominatũ licuiſſet. Nemo ſibi perpetuitatem promiſit, nemo fortunam, quæ ſemel fauiſſet iniquitati, ſperauit hæreditariam fore ſuis nepotibus. Phalaridem occupata Republica ſæuire coëgit neceſsitas, à voluptate ſæuiendi ita abhorruit, vt ſuppliciorum architectum captata humanitate incluſerit propriæ machinæ. Noluit vim naturæ inferre, vt à calamitatibus & mortibus abeſſent propriæ pereũtium voces, queſtus, ſuſpiria, lamentationes: iſte, cùm mactet regna & populos ad exitium, non ab homine vocem taurinam exigit, ſed (quod multò atrocius eſt) vobis ipſis oppreſsis celebrandos miſeriarum & cladium veſtrarum triumphos obtrudit. Cuius atrocitatis ſi quis hactenus nullam animo ſuo impreſsit imaginem, ille tandem oculos conuertat ad illam nuper in arce Antuerpienſi erectam ſtatuam, illam in quam ita omnibus ſuperbiæ, arrogantiæ, furoris, impietatis numeris abſolutam, vt certo conſtet ad fictionem non ſolum non ſuffeciſſe in Belgica artifices, ſed & per Italiam, atque Hiſpaniam quæſitos, qui conſentaneo impietatis & blaſphemiæ ſpiritu inflati atque accenſi, vnam tãdem ideam exprimerent, quæ omnes veterum Salmoneos, Atre

os, & gigantum θεομαχίας immanitate ſuperaret. Scilicet enim ſtat ille theatrica baſi ſublimis ex ære captiuo (vt iactitat) conflatus, iacet ſub pedibus non modo illi, quos optime de Rege meritos peſsimo mortis ſpectaculo ſuſtulit, verum etiam quidquid vel eſt, vel fuit reliquæ nobilitatis ac populi, adiacent arma veſtra hactenus libertati aſſerendæ hoſtibuſque depellendis comparata, iiſdem cōminuta, confracta, protrita pedibus, libelli ſupplicum auerſis & ſurdis repudiantur auribus, dextra motus manu compeſcuntur, pax reſtituitur, hoc eſt, omnes ſuffragiorum, legum, comitiorum, conſiliorum liberæ voces comprimuntur: mox ἀλεξίκακος ἠώς ſerenat cœlum, pellit omnem peſtiferam exhalationem, vt gramina fiant innoxia pecori, hoc eſt, vt profligato verbi DEI rore locum inueniat Antichriſtus, vbi effundat caliginem & nubes perditionis publicæ. Siniſtra caduceum tendit, vt intelligatur Tribunitia poteſtate adeſſe ius vitæ & necis: huic ſubiecta eſt ara DEI Patrum noſtrorum, quæ ritu Sarracenicæ ſuperſtitionis (quę gens huic triumphatori auita eſt) holocauſto nideat, quod ex impiorum paparum, ſacrificulorum, monachorum calidis lupanaribus aſſurgat in cœlum ad fœdandam faciem DEI. Ecce beluam tandem non modo formidabilem, verum etiam voluptate ſcelerum geſtientem, veſtrarumque calamitatum ſuaui pruritu inſultantem vobis. Quæ cum talis ſit, quid obſecro vel diuini, vel humani iuris inconcuſſum, aut intactum reliquit? quis eſt vel Deorum omnium (vt ita dicam) vel hominum, qui quidquam ſuum dicere poſsit, poſtquam huius lernæ fauces complexæ ſunt omnia? An non ſemel ſine diſcrimine quidquid eſt tam hominum, quàm rerum per Belgicam noſtram id velut vno hiatu ad perpetuam cum ſeruitutem, tum reatum arripit, atque abſorbet? Quid dico? an non vna quaſi ancipiti pla

ga de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194

ga detruncat etiam in poſterum materiam omnem ſperan-di meliora? cùm ea vos conditione relinquere conatur, vt ex fælicitate iſtius tyrannidis ſucceſſoribus ſuis ſtabiliat æternam latrocinandi officinam? eamque veſtris communibus ſententijs crudelitati velut aram conſecratam dedicet? Sin verò fata criminibus iſtis diuturnitatem abrumpant, nec ſinant vim regnare diu, tum reliquis quidem ciuibus ope diuina, noſtrique ſanguinis, & fortunarum omnium ſumptu fidiſsime ſeruatis, vos imprimis, qui magiſtratum geritis, vel implacabilibus aduerſariorum veſtrorum furoribus obijciat, vel certè ad cauſam dicendam legitimis iudicijs obnoxios relinquat? ſecumque ad talionis pœnam præcipites trahat? Et certè quanquam oportebat iſtius vaſtationis vos, qui ſaluti publicæ ſacramentum profeſsi eſtis, ne ſpectatores quidem exiſtere, nedum actores, adiutores, & ſatellites, tamen, quamdiu primis tumultibus cauſa diſcerni non potuit, & ſpecie puniendæ ſeditionis, atque hæreſeos latere datum fuit tyrannidi, ſuperfuit excuſandæ ignorantiæ locus aliquis. poſtquam verò ille ſublata (vnde ſæuiendi prætextum ſumpſit) ſeditionis materia, nullo habito perſonarum, locorum, ac rerũ diſcrimine, vniuerſa patriæ commoda tanquam commiſſa vertit in ſeruitutem & rapinam, idque nunquam edita Regia voluntate, quem obducetis colorem, ſi id vobis ſuffragantibus feciſſe videbitur? Quo exitiali atramento ne ſe fatalis ſæpia condat, voſque fugiens oblinat atque eludat, in veſtra poteſtate eſt non ſolum vt culpam omnem, quam communicatione immitiſsimarum actionum contraxiſſe videri poſsitis, expietis, verum etiam inita noua gratia in poſterum omne periculum vitetis: ſi deditis vrbibus, abiectoque tyranno in noſtrum patrocinium

recepti, deinceps de communi patriæ ſalute ſarcienda intẽti eſſe velitis. Quod vt propenſius faciatis, commonent vos iuriſiurandi veſtri, quo ſinguli veſtris ciuibus, plurimi etiam mihi alligati eſtis, exempla clariſsimarum ciuitatum, portuum, fluminum, oſtiorum, quæ ſine exemplo (vt videtis) iugum abiecerunt, claſsesque & præſidia mea receperunt: vt tutius (ecce præſto adſum cum inſtructiſsimis ſubſidijs nullo præteritę ingratitudinis offendiculo alienatꝰ, vt vel extremi certaminis pignore fidem meam, quam patriæ, patrimonijs, & in primis ijs debeo, apud quos magiſtratu me hactenus nunquam abrogato fungi Rex iuſsit) liberem. Cuius abrogationis cùm ille nunquam ſecundum noſtrates leges mandatum exhibuerit, nec fidem hactenus, quam debebat, ad poteſtatem vſurpandam vobis fecerit, ſed è diuerſo ſuppoſititijs Hiſpanicæ aulæ ſtationibus populo Belgico exagitando edicta fixerit, atque refixerit: videte obſecro quanto ſanctius ſitis eum ſecuturi, cui meminiſtis plus minus ab hinc ſexẽnio ex formula totius trãſmarini Regij imperij curam demandatã, quemq; ſcitis multa prȩclara tam ſua, quàm liberorum dominia inter vos poſsidere, eiuſdemq; hæreditarium ius eſſe, Brabantiæ, & Marchionatus Antuerpienſis libertatem tueri: quam barbarum aduenam, qui vobis tanquam hoſtibus nihil reliquum faciat. Supereſt igitur vt deſeratis Sardanapalum effœminatiſſimum, Phalaridem crudeliſsimum, tyrannum Dijs ſimul atque hominibus æquè inuiſum: denique (ne quid metuatis) pridem comitijs Imperialibus omnium ſententiarum conſentientibus decretis damnatum. Qui tamen nihil vnquam in quenquam potuit, niſi quem vel diſcordia fregit, vel qui ſponte ſubiecit ceruicem. Qui, quo certius tãdem & ipſe procumberet in fata ſua, ecce quo veſaniæ atq; furoris tunc inferbuit, cum etiam ſatellites editarum cæ-

dium machinis ſuppliciorum ſuorum (quod nemo vnquã feciſſe legitur tyrannus.) incluſos funeſtiſsimis exemplis iugulauit. Quem exitum nemo, qui tyrannorum norit ingenia, dubitet, quin etiam vobis omnibus deſtinauerit, niſi oblata ſanctiſsima occaſione lubentiſsime ſeruari, quam pertinaciſsime perire malitis. Quam ſecurus ſit, quam prorſus nullis nitatur viribus, videtis, qui ſparſis per pauculas vrbes pauciſsimorum latronum manipulis, libidinibus & delitijs altum ſeſe condidit, neque ad vlla ſana conſilia conualeſcere ſuſtinet. Ad nouas copias conducendas, vel illis etiam maximis ſpolijs, quæ tam ex veſtris facultatibus, quàm noſtris exuuijs pridem legit, quam inuenturus eſſet gratiam, ipſe ſatis præſagijt, cum Megenſes cohortes ignominioſe exautoraret, Arenbergenſes ſtipendio fraudatas truncaret, Germanicas decimaret, in quibus quã nobiles, grandæuos, atque exercitatos omni emerita per totam Europam militia tribunos, conſignata ſolenniter fide ad noua autoramenta vocatos, gladio percuſſerit, laqueo ſuſpenderit, quadratim diſcerpſerit, audiuit & in poſterum cauebit tota Germania. Quod ad Hiſpanica attinet ſupplementa, quorum ſubinde inanem, ne dicam ridiculum terrorẽ, ſpargit, plures illic homo nouus & Iudaica perfidia oriundus (quæ occulta ei in nos odij cauſa eſt) inter antiquæ Hiſpanicæ nobilitatis genuina ſtemmata reliquit inimicos, quam hic vel inuenit vel fecit. Quod etiam in cauſa fuit, cur illam faſcinato Regi, atq; inuito Regis filio extortam expeditionem nullus ingenuus miles ſit ſecutus, adeò vt in ipſa Hiſpania nullum inuenerit exercitum, priuſquam viliſsimis aliquot Africanorum mancipiorum tyrocinijs Siciliæ, Apuliæ, atque Inſubriæ præſidia ad ſpem deducendarum in noſtram patriam coloniarum, detruncata vtcunq; adiungeret, quibus in itinere acceſsit ea Allobrogum, Al-

pinorum & Eburonũ colluuies, quę ſub ijſdem ſignis mentita exoticum nomẽ barbarico ſono veſtræ ſimplicitati paſſim impoſuit. Eijcite igitur, imo vnanimi impetu ad talionem corripite exoſum tam apud Hiſpanos, quàm Italos & Germanos monſtrum, cauete elabatur nequiſsimum caput vtriuſque Germaniæ triumphis inflatum, ille inquam, extremæ crudelitatis archetypus, qui tam pridem pręclariſſimarum ciuitatum veſtrarum portas, portus, compita omnia cadaueribus ciuium veſtrorum fœdauit, qui neque ſexui, neque ætati, neque dignitati pepercit, qui liberorum hominum vitam plus quam pecudum laniena mactauit, orbitatem, luctum, reatum promiſcuè omnibus domicilijs intulit, mactatorũ corpora vel in furcas ſuſtulit, vel ad ſepulturam conquiri vetuit, vel certè omni ſepeliendi honore, ſolenniq; comploratu excluſit. Ego viciſsim nuſquam vobis deero, quẽ videtis vel etiamnum eo profeciſſe vt ſi mari fugam tentet, claſsibus meis ſe obſeptum experiatur, ſi Galliam reſpiciat, in munitiſsimarum ciuitatum incurrat præſidia, ſin eas vias relegat, quibus ingreſſus eſt, illac mea caſtra oppoſita ſentiat. Reddite vos tandem libertati, libertatem Reipublicæ, Rempublicam priſtino ornatu excultam, atque ab iſto luctu erectam Regi, qui ſi vel nunquam abſens fuiſſet, vel ius gentium legatorum noſtrorum libero commeatui conſeruaſſet (quod ei perfidia iſtiuſmodi conſultorum non licuit) nunquam ad hoc rerum omnium noſtrarum excidium deueniſſemus. Quibus, cùm non aliter conualeſcere ad ſalutem licuerit, niſi vt ſumptis armis vis vi deturbetur, ne quem ratio noſtri conſilij fugiat: has eſſe mihi, nec vllas alias huius belli cauſas Deum immortalem, qui mihi iuſtiſsimæ defenſionis Dux adeſt, teſtor.

Vt.

Incolumi

Incolumi Regis Maieſtate, reſciſsis omnibus edictis, quibus vis fit conſcientijs & legibus, libera fiat amplecti volentibus Prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum doctrina, idque ad exemplum Eccleſiarum hactenus ea doctrina vtentium, recuſantibus (ſi quieti eſſe velint, & fuiſſe demonſtrent) nulla iniuria vti frui ſuis rebus liceat.

Inquiſitionis nomen in ſempiternum diſpungatur.

Sophiſtarum, Monachorum mendicantium, & cum his coniuratorum conatus coërceantur.

A Republica remoueantur, qui legibus in ea locum habere non debent, multò minus, vt armis affligunt ſimplicium animas.

Spoliatis domicilia, res, patrimonia, exiſtimatio, immunitates, priuilegia, leges, quibus conſeruetur libertas, reſtituantur.

De Republica adminiſtranda comitijs prouincialibus rogetur more maiorum.

Ea res ad Regem ipſum, & ordines, qui per ſingulas prouincias euocari ſoleant, pertineat, non ſecreto agitetur inter homines mercede conductos, cætera alienos, quorum perfidia & rapacitate in iſtiuſmodi calamitates deuentũ eſt.

Magiſtratu, militia, prouincia abeant, quibus iura prouinciarum, pactaq́; inaugurandorum Principum obſtant.

Ille ipſe, qui nullo hæc vnquam teſtimonio Regię volũtatis in populo Belgico ſuſtulit, ſiſtatur, vt intra fines noſtros cauſam dicat iuratis legibus & moribus Belgicis, reddat actorũ ſuorum rationẽ, experiatur iudiciorũ euentũ.

Qui, quoniã à propoſito receſſurus non eſt, niſi, vt quæ ſemel abrogata, atque antiquata tenet, ea ad extremam veſtram pernitiem, retineat: vt quæ amiſſa nolitis, mecum vindicetis, vendicetis, tueamini, etiam atq; etiã per meã, ac veſtram fidẽ chariſsimę patriæ ex iuriſiurandi formula deuin

ctam

ctam vos obteſtor & euoco, ni faciatis, me extra noxam ſo
re, ſi quid durius admouendum ſit, pleniſsimo modo, quō
ad fieri poteſt, proteſtor. Sin (quod felix fauſtumque ſit) o-
men recipiatis, præſto eſtote, vt primum Chriſto Deo vni-
co Seruatori noſtro, poſt Regi legibus iuratis acquieſcen-
ti, tandem mihi patrono patriæ & libertatis vindici fidem
iuretis. Quam ſi inuiolatam præſtiteritis, mihique tam ad
religionis, quàm etiam legum, ac iudiciorum pacem ſine
cuiuſquam ordinis iniuria conſtituendam adiutores ſitis,
tum demum expectandum ſcitote, vt ante omnia placato
numine, reddito ſuæ poteſtati Rege, conſtituta Reip. tran
quillitate, negotiationes veſtras liberrimo commeatu per
Germaniam, Angliam, Galliam, Sarmatiam, à quibus incō
parabili rerum omnium veſtrarum iniuria vos inhumaniſ-
ſimus vaſtator abrupit, recuperetis, proculque omni deci-
mationis, direptionis, ſeruitutis iniuria exerceatis. Hæc ha
bui, quæ ante arma, vobis, qui adhuc in tyranni pote-
ſtate eſtis, denuntiarem, ne in poſterum cu-
iuſquam pertinacia ex erroris prę-
textu proferat excuſa-
tionem.

Datum XVI. Iunij.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194

68 216

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 194